

722 CXC VII. VII. A. 44. Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 69. 4. nitide exaratus, olim *Germani Brixii* sive *de Brice Antissiodor.* Canonici *Paris.* perquam eruditi, qui anno 1538. diem clausit, dein *Joh. Sambuci*, complectitur: I. *Librum magni Basilii ad iuvenes et religiosos per Leonardum Aretinum ex greco in latinum traductum*, qui alias *de Liberalibus Studiis et ingenuis Moribus*, item *de Legendis Libris Gentilium* inscribitur, cum Praefatione Interpretis ad *Colutium Salutatum*, de quo Opusculo diximus *Cod. praeced.*

II. *fol. 18.* Ejusdem *Leonardi Bruni Aretini de Temporibus suis Librum*, cujus initium: *Qui per Italiam homines excelluerunt etate mea &c.* et finis: *cum ingenti gloria et exaltatione ciuitatis.* Si *Muratorium* audias, qui Opusculum istud *T. XIX. Scriptt. Rer. Ital. Mediol. 1731. col. 913. f.* denuo inseruit, primus illud prelo typographico subiecit *Lugduni 1539. Annib. Crucejus*; ve-

rum pace magni Viri, praeter Editionem *Venet. 1483. 4. e* *Bibl. S. Michaelis* prope *Murianum* prolatam a *Mittarellio, Venetas* alias 1475. et 1485. 4. et *Florentinam 1488. 4.* indicat *Mazzuchellius in Scriptt. Ital. Vol. II. P. 4. p. 2205.* qui tamen, nescio quo indice, nixus Opusculum in II. *Libros* dividit, cum et in Editione *Murat.* et in *Cod. nostro* continenter decurrat.

CXC VIII. VII. 2. 19.

Codex membraneus lat. Sec. 257 ut videtur, XI. Folior. nunc 96. f. luculente exaratus continet *Orationes IX. Gregorii* a patria dicti *Nazianzeni*, a *Sasimorum* et *CPoleos* episcopatu ad vitam privatam reversi, mortuique a. 389 — 91. viri elegantis ingenii et splendidae eloquentiae, quas *Rufinus Presbyter Aquilejensis* Sec. ut putem, eodem in gratiam *Aproniani* cujusdam latinitate donavit. Initium facit sequens *Distichum*:

*Suscipe Sancte tui munus benedictae Georgii.
Quod sibi persolvas in celis nunc ubi regnas.*

Georgium hunc *Coenobitam Benedictinum* habeo, qui *Patriarchae* suo hoc pensum scriptorium obtulit. Sequitur: *In hoc libro continentur libri apologetici* (*Primus tantum apologeticus est*) *Sancti Gregorii nazanzeni episcopi numero nouem.* Et paullo infra li-

tera unciali purpurea: *Incipit Liber Primus Apologeticus Sancti Gregorii Nazanzeni Episcopi.* Idem repetitur *fol. verso.* Tum *Liber*, quo causas exponit, cur *Presbyter factus in Pontum* fugerit, et denuo *Nazianzum* redierit, hoc initio: *Victus sum. et fateor.*